



memoriae prodiderunt: Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, epistola quadam, quae est in eius epistolis hodiernum reliquis duodetricesima *edit. Basil. A. 1567.* grauissimis verbis poenitentiam ipsi iniunxit. Paucis vero diebus post, vbi Theodosius Mediolanum venit, precumque faciendarum caussa in templum intrare voluit, Ambrosius, nisi immani facinore per aliquod laudabile factum expiato, intrare eum passurum se negauit. Cuius expiationis rationem postulanti Imperatori praecepit, vt legem scriberet, *quae furoris sententias irritas reddat atque inanes, et triginta dierum spatio maneant scriptae sententiae de caede ac bonorum proscriptione rationis iudicium exspectantes, vt ait Theodoretus.* Consilium tam salutare amplexus Imperator, teste Theodoretus *d. l. c. 18.* legem statim conscribi iussit, manuque signauit sua. Cassiodorus igitur, cum lege nostra id statutum reperiatur, eam ipsam esse ratus, quae, suadente Ambrosio, a Theodosio lata est, omissa subscriptione, integram retulit. Quae quidem res Baronium atque Gothofredum induxit, vt constitutionis nostrae conditorem Theodosium esse statuerent. Enim vero vterque magnas illas difficultates, quibus haec sententia premitur, ipse probe intellexit. Primum enim inscriptio, consentientibus omnibus libris, nomen *Gratiani* habet, quem eo tempore, quo caedes Theffalonicensis accidit, non amplius in viuis fuisse satis constat. Quare, ne statim ab initio causam perdant suam, *Gratiani* nomen tuto expungendum esse temere

mere